

OBSERVATIONES
AD VITAM

SANCTI URSI.

Ecclesie an Ravennae extiterint ante S. Ursi aetatem. S. Ursus prior ex effigie cognitus, Cujas fuerit. Descriptoris Sphalma.

I. **A** dnotandum in hac S. Ursi Vita, quod Agnellus dicat usque ad S. Ursi tempora plebem Christianorum in singulis tuguriis orationis causa vagasse, eumque Episcopum primum fuisse, qui initiaverit Templum construere Dei. Quae quidem ita intelligenda sunt, ut praenarratis in S. Severi Vita minime obstant, in qua, & Ecclesia Ravennae fuisse dicitur, & in ea plebs congregata asseritur, ubi sacra Synaxis peragebatur, ac pro novo Pontifice eligendo congregabatur ceterus Episcoporum, & Populi. Id itaque eò solum tendit, ut Ecclesiarum Ravennatum rude, & inelegans opus ostendatur, earum videlicet, quae constructae fuerant Ravennae ante tempora S. Ursi, qui omnium primus de Templo eleganti excitando cogitavit. Artificum, qui Templi parietes exornare, nomina in margine adnotavi, qualia Rubens in Historia exhibet, retentis in Textu, quae Codex Estensis probabiliter corrupta habet. Conjecti è contra in marginem vocem ignotae significationis Madicho, & suo loco reposui machina, quod monuisse sufficiat.

A II. Omnium Episcoporum primus hic est, quorum faciem Agnellus ex veteri Musivo exhibet. Cum antiquissima illa manufacta perierit, plurimis sane faciendum est, quod eorum rudis licet delineatio ab Auctore, qui eam vidit, expressa remanserit, Cujas autem fuerit Ursus incertum manet, nec Cujetani, aliorumve sententiae astruenda quidquam suppetit, quinimo si fides Agnello habenda est, ex Syriae partibus venisse affirmandum est Ursus, etenim Auctor, ut aliàs adnotavi, infra in Vita Petri expressè ait; A tempore Beati Apollinaris unà cum isto Viro (Petro videlicet) Praedecessores sui Syriae fuerunt. Sicuti autem reor ex Honorii Augusti liberalitate Siciliae ditiones Ursiano Templo accessisse, quae Sanctae Ravennatis Ecclesiae Patrimonium sunt dictae, ita & ob id credo Sanctorum Scaulorum Agathe, Luciae, Eupulique cultum haberi coepisse Ravennae.

B III. Non est ut quidquam nos remoretur, ve negotium faciat nota adscripta annorum XXVI. cum ex dictis supra in Dissertatione manifesto appareat spatium temporis hujusmodi S. Ursi se diu minime posse tribui. Sphalma igitur Descriptoris illud esse consequens est, de quo emendando facile cogitare poterit, qui pertractata perpendet, & praecedentium, ab subsequutorum Episcoporum seriem considerabit. Porro illud extra omnem dubii aleam positum censeo, quod S. Ursi Episcopi tempus vix duodecim annorum circulo impletum sit, nec ultra annum CCCCXIII. progressum.

DISSERTATIO TERTIA
HISTORICO-CHRONOLOGICA

De aetate Episcoporum Ravennatum, qui florere à Petro ejus nominis primo ad Ecclesium.

P A R S P R I O R

Exponuntur tricae, quae ex Agnello, & aliis documentis historiam, & chronologiam impediunt.

I. **A** d implicatissima Agnelli loca pervenimus, in quibus temporum rationem aptè disponere, nisi ex conjecturis fiat, vix sperandum. Usque in hanc diem siderunt Eruditi quotquot de Ravennatis Ecclesiae Episcopis scripserunt Hieronymi Rubei Historiae, qui licet ex fide documentorum omnia se digessisse asseveret, apparet tamen saepius conjecturis tantum edificasse, quod necessitas ipsa suadebat. Ipse cum nonnisi eodem medio salebras superare cogar, ut qui conatus meos legerint, aequi, bonique consulant, tricas omnes in unum exponendas primum duxi, quatenus ex rei difficultate Censores eorum quae ad nodum implicatissimum dissolvendum adjiciam, benigniores efficiam.

II. Agnellus hoc ordine Episcopos Ravennates recenset. Petrus, Neo, Exuperantius, Johannes, Petrus cognomento Chrysologus, Aurelianus, Ecclesius. Petrum ejus nominis priorem tradit celebris Templi ab ejus nomine Petriani dicti conditorem, licet eundem dicat Successori reliquisse finiendum.

D De ejus mortis tempore haec habet; Cum verò coepisset Valentinianus imperare, in ipso introitu Imperii ejus Beatus iste Petrus vitæ expoliatus vitam finivit. Valentinianus autem tertius, cui soli haec applicabilia sunt, imperare coepit anno Aerae vulgaris CCCCXXV. cum Theodosio Juniore, qui Imperii sui annum decimum octavum agebat. Hinc ait; Istius temporibus Gallam Placidiam Augustam multa dona in Ecclesia Ravennae obtulisse. Galla Placidia Valentiniani laudati mater, extincto Johanne Tyranno cum filio anno eodem in Italia regnare coepit. Defunctum Petrum tradit pridie Kal. Augusti. Neonem Petro successorem adjicit, qui, ait, aedificator fuit supra scriptae Ecclesiae Petrianae, cujus funditus aliquam partem Antecessor construxerat, quibus consummatis eundem mortuum dicit tertio Idus Februarii. Exuperantii tempore cum retulisset Felicem Patricium occisum mense Maji addi; & facta est Dominica Eudoxia Augusta Ravennae octavo Idus Augusti. Valentinianus Eudoxiam Theodosii filiam uxorem accepit circa annum